



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 126. Vtrum sit vnum summum malum, quod sit causa omnis mali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

debita perfectione, vel impediatur ab alia causa potentiori, quod ipsum est malum, semper producit effectum bonum, & suæ naturæ convenientem, adeoque effectus physicè malus privatiuè supponit in causa aliquod malum, privatiuum, quod malum physicum privatiuum causatum est per accidens à causa bona, ut explicatum est num. 7. Si loquamur de effectibus malis moraliter, non debent procedere à causa moraliter, vel physicè mala, ex eo, quod careat perfectione moraliter, vel physicè debita, sed sufficit, ut procedant à causa, quæ careat perfectione indebita impeccabilitatis, carentia purè negativa. Causa autem ex eo, quod careat impeccabilitate indebita, non est mala, sicut equus non est malus per hoc, quod careat rationalitate indebita. Angeli igitur, qui antequam peccarent, erant boni in suo ordine, sed non optimi, cum essent peccabiles, causarunt in se malum peccati, quo constituti sunt moraliter mali. Idem dic de Adamo. Dum Matth. 7. dicitur, *Non potest arbor bona malos fructus facere*, ut docet August. lib. 1. contra Iulian. cap. ultimo, nomine arboris bonæ intelligitur non potentia, sed actus voluntatis bonus, qui non potest facere externam operationem moraliter malam, siquidem externa operatio eo ipso, quod procedit ab actu voluntatis bono, & honesto, denominatur honesta, & bona. Dionysius dicens, quod *malum non habet causam*, significat, quod non habet causam per se, sed per accidens, siquidem nemo intendens malum operatur, ut dictum est nu. 7. Adde, quod malum non habet causam efficientem, sed deficientem.

16. Ad 3. nego, quod si bonum creatum est causa mali, Deus sit causa omnium malorum, nisi per accidens malorum physicorum, ac purè permissiva malorum moralium, ut explicatum est num. 9. 10. 11. & 12. Dum opponitur: causa causæ est causa causati; distinguo, secundum eundem modum causandi, nego; secundum proportionalem, concedo. Deus fuit causa Angelorum, qui peccarunt, & peccando defecerunt; at Deus peccatum Angelorum purè permisit, ideoque purè per accidens, & permissivè illud causans, non defecit, neque peccavit, sed honestissime operatus est, prout decebat ad bonum vniuersi. Quidquid igitur est boni, entitatis, & perfectionis in actione mala, reducitur ad Deum, tanquam ad primam causam; quidquid est defectus, & mali, reducitur in causam secundam deficientem, eo pacto, quod cum quis claudicat, quidquid est boni in claudicatione tribuitur potentiæ motiue: vitium autem claudicationis tribuitur vitio potentiæ motiue. Dum Isaia 45. Deus dicit de se ipso: *Ego Dominus, faciens pacem, & creans malum*, loquitur de malo pœnæ, quod Deus ex suppositione peccati purè permissi vult, & amat propter bonum iustitiæ, ut dictum est num. 10. non autem de malo culpæ, quod

non vult, neque amat, sed purè permittit in 15. Ad 4. Gubernator tunc est causa moralis submersionis navis, quando non facit id, quod requiritur ad salutem, & non submersionem navis, cum debeat illud facere; sed Deus nunquam omittit facere id, quod est necessarium, & debet facere ad salutem hominis, ideoque Isaia 5. dicit de se ipso: *Quid debui facere vineæ meæ, & non feci?* ergo Deus non est causa perditionis hominum, quæ proinde non tribuitur Deo, sed ipsi homini, iuxta illud Osee 13. *Perditio tua ex te Israel.*

QVÆSTIO CXXVI.

Virum sit vnum summum malum, quod sit causa omnis mali?

S. Th. qu. 69. art. 3.

1. **V**idetur, quod sicut datur vnum primum principium bonorum, quod est summum bonum, sic datur vnum primum principium malorum, quod sit summum malum. Primo enim effectus contrarii debent reduci ad primas causas contrarias; sed bona, & mala sunt effectus contrarii, iuxta illud Ecclesiast. 33. *Contra malum bonum est, & contra vitam mors, sic & contra iustum peccator;* ergo.

2. Secundo ex Aristotele 2. de Cœlo t. 18. si vnum contrarium est in rerum natura, etiā aliud est in rerum natura; sed in rerum natura est summum bonum causans omne bonum; summo autem bono est contrarium summum malum causans omne malum: ergo.

3. Tercio sicut in rebus datur bonum, & melius, sic datur malum, & peius: sed ex eo, quod datur bonum, & melius, infertur dari optimum, in ordine ad quod datur bonum, & melius: ergo ex eo, quod datur malum, & peius, infertur dari pessimum, in ordine ad quod datur malum, & peius.

4. Quarto quæ sunt bona per participationem reducuntur ad id, quod est bonum per essentiam; ergo quæ sunt mala per participationem reducuntur ad id, quod est malum per essentiam, quodque proinde est causa omnis mali.

5. Quinto quod est causa per accidens reducitur ad aliquā causam per se; sed bonum est causa mali solum per accidens; ergo reducitur ad aliquam causam mali per se, ac proinde datur aliquod malum, quod sit causa per se omnis mali.

6. Sexto malum effectus supponit malum in causa; sed non proceditur in infinitum; ergo datur primum malum, quod sit causa omnis mali.

7. Respondeo celebrem esse errorem Manichæorum, qui dixerunt dari duo prima principia, alterum bonum, quod sit causa omnium

omnium bonorum, alterum malum, quod sit causa omnium malorum.

8. Dicendum contra hunc errorem non posse dari malum, quod sit causa omnium malorum, sicut datur bonum, quod est causa omnium bonorum.

Probatur primo: nam ex dictis supra quæst. 17. non potest dari nisi vnum ens à se; sed si daretur primum principium malorum, darentur duo entia à se; ergo. Probatur minor: nam principium malum omnium malorum non posset esse ab vilo principio: non à principio bono; nam eo ipso non esset primum principium omnium malorum, cum ipsum esset malum, & esset ab alio principio bono; neque posset esse ab alio principio malo; nam eo ipso non esset primum principium omnium malorum, cum esset à priori principio malo; ergo primum principium malum omnium malorum deberet esse à se.

9. Probatur secundo: nam ex dictis quæstione 18. num. 15. & sequentibus, quod est à se, eo ipso, quod est à se, habet esse, & perfectionem illimitatam in omni genere; sed quod habet esse, & perfectionem illimitatam in omni genere, non potest esse malum, ac multo minus potest esse summum malum; ergo ens à se non potest esse malum, ac multo minus potest esse summum malum: sed primum principium malorum deberet esse à se: ergo non posset esse malum, multo minus posset esse summum malum, ac proinde repugnat malum, & summum malum, quod sit principium omnium malorum.

10. Probatur tertio: nam sicut primum principium bonum habet à se suum esse, & quidem subsistens, sic primum principium malum haberet à se suum esse, & quidem subsistens: sed unicuique bonum est habere esse, præsertim à se, & subsistens; nam omnia appetunt esse: bonum autem est, quod omnia appetunt: ergo primum principium malum haberet bonum essendi à se, & per se essendi, ac proinde esset bonum, & maximum bonum. Confirmatur: nam esse, & essentia præsertim subsistens non possunt esse mala ei, quod habet esse, & essentiam; sed primum principium malum haberet esse, & essentiam per se subsistentem; ergo tale esse, & essentia non esset mala, sed bona primo principio malo, ac proinde primum principium malum, cum haberet esse, & essentiam ipsi bonam, non esset malum, sed bonum secundum suum esse, & secundum suam essentiam.

11. Probatur quarto: nam sicut primum principium bonorum est per se subsistens, & non est in subiecto, sic primum principium malorum deberet esse per se subsistens, & non in subiecto; sed malum non potest esse per se subsistens, sed debet esse in subiecto bono; nam non potest esse malum sibi, sed alteri, in quo sit, & quod prius aliquo bono; ergo primum principium malorum non potest esse malum.

12. Probatur quinto: nam sicut primum principium bonorum est summum, & perfectum bonum præhabens in se omnem bonitatem, sic primum principium malorum deberet esse summum, & perfectum malum, præhabens in se omnem malitiam; sed repugnat malum summum, & perfectum, præhabens in se omnem malitiam: ergo. Probatur minor: nam summum, & perfectum malum habet summam, & perfectam odibilitatem, sine ulla amabilitate, ac proinde habet summum meritum non essendi, & caret omni merito essendi; sed sicut quod habet summam amabilitatem, & meritum essendi, non potest non esse, sic quod habet summam odibilitatem, & meritum non essendi, non potest esse: ergo summum malum non potest esse, ac proinde est impossibile. Ideo Aristoteles 4. Ethic. cap. 5. dicit, quod si malum integrum sit, se ipsum destruet, imò destruet suam possibilitatem, quia eo ipso non poterit dari vlla ratio, ut sit, vel possit esse, ac neque ipsum quidem summum malum posset habere vllam inclinationem, & appetitum ad essendum. Ex proportionali ratione malum non potest esse destructivum totius boni in subiecto. Nam eo ipso esset destructivum sui subiecti, ac proinde sui ipsius, siquidem non potest esse, nisi in subiecto bono, ut dictum est quæstione 113. num. 16.

13. Probatur sexto. Nam perfecte malum, & nihil habens boni, eo ipso non posset esse principium vllius mali: ergo repugnat summum, & perfectum malum, quod sit principium omnis mali. Probatur antecedens: nam est impossibile, ut aliquid appetat, & intendat malum sub pura ratione mali, & non sub aliqua ratione boni; ergo ut perfectum malum causaret alia mala, deberet illa intendere sub aliqua ratione boni: sed eo ipso, quod deberet intendere malum sub ratione boni, esset bonum: nam quod ex sua natura intendit bonum, est bonum: ergo. Confirmatur: nam in tantum res appetunt bonum, in quantum bonum illis convenit; sed bonum convenit rei ratione alicuius bonitatis: ergo eo ipso, quod aliquid nihil haberet bonitatis, bonum illi non conveniret, ac proinde non haberet inclinationem, & appetitum boni.

14. Explicat deinde Sanctus Thomas, vnde nam ortus fuerit error dicentium dari duo prima principia. Primo errarunt, quia videntes vnum ens particulare esse nocivum, & malum alteri, putarunt illud esse simpliciter nocivum, & malum secundum suam naturam, quod est falsum. Ut enim aliquid sit malum secundum se, & secundum suam naturam, non sufficit, quod sit malum, & nocivum alteri, si bonum sit sibi ipsi, & vniuerso. Ex gr. licet ignis comburat domum pauperis, & illi noceat, non est malus secundum suam naturam, cum sit bonus sibi ipsi, & vniuerso; ergo licet aliqua res noceat alteri, cum tamen conducat ad bonum vniuersi, causa prima, quæ

B b b 2 illam

illam producit propter bonum vniuersi, non est mala, sed bona, & optima. Secundò errarunt, quia videntes effectus contrarios produci à causis particularibus contrarijs, putarunt, quod etiā debent produci à primis causis contrarijs. At ipsa contraria cum conueniant in hoc, quod conducant, & sint necessaria ad bonum vniuersi, debent produci ab vna causa communi vniuersi, quæ intendat bonum totius vniuersi, adeoque primum principium contrariorum debet esse vnum. Tertio ex eo, quod peccatum sit simpliciter malum, intulerunt eius causam immediatam, ac etiā primam esse malum; sed vtramque est falsum. Nam, & peccans ideò peccat, quia cum habeat naturam bonam, & quæ debet conformari primæ regulæ, liberè operatur difformiter primæ regulæ: & Deus, qui produxit naturas bonas, easque obligauit ad se conformandum primæ regulæ, eo ipso est bonus; & cum produxerit naturas peccabiles, quia requiruntur ad perfectionem vniuersi, propter hoc ipsum est optimus.

15. Ad 1. distinguo maiorem: effectus contrarij, ac conuenientes in aliquo communi, præsertim in hoc, quod conducant ad bonum vniuersi, debent reduci ad primas causas contrarias, nego: si in nullo conueniant, transeat: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Omnes effectus contrarij, cum conueniant in ratione entis, & præsertim in hoc, quod conducant ad bonum vniuersi, debent reduci ad primam causam vniuersalem ordinantem omnia ad bonum vniuersi, & permittentis ipsum malum morale peccati propter bonum vniuersi.

16. Ad 2. distinguo maiorem: si vnum contrarium est in rerum natura, etiā aliud aptum esse in eodem subiecto est in rerum natura, concedo; aliud non aptum esse in eodem subiecto, nego: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Aristoteles loquitur de contrarijs aptis ad essendum in eodem subiecto, quod sit potentia susceptiua vtriusque contrarij, ac de ijs docet, quod si vnum detur in rerum natura, etiā aliud datur in rerum natura; siquidem datur subiectum naturaliter susceptiuum vtriusque: ex. gr. eo ipso, quod datur calor, datur frigus, cum subiectum caloris sit susceptiuum, & capax etiā frigoris. At summum bonum, quod est principium omnis boni, non est in subiecto susceptiuo contrariorum, imò est actus purus, vt dictum est quæst. 18; ergo ex eo, quod detur summum bonum, non sequitur dari summum malum: imò sequitur non dari, cum eo ipso, quod daretur summum malum contrarium summo bono, summum bonum non esset summum bonum.

17. Ad 3. concedo maiorem, & minorem, ac nego consequentiam. Disparitas est, quia bonum, & melius talia sunt per hoc, quod magis, aut minus participant de perfecto, & optimo; malum autem, & peius, cum consi-

stant in priuatione, talia sunt per hoc, quod deficient ab ipso optimo, & perfectissimo: ergo vt detur malum, & peius, non est necesse, vt detur pessimum, de cuius malitia magis, & magis participant, sed sufficit, vt detur optimum, à cuius bonitate magis, ac magis deficient.

18. Ad 4. nego consequentiam. Mala, enim ex dictis non consistunt in participatione mali, sed in defectu à bono; ergo non est necesse, vt detur summum malum per essentiam, de cuius malitia participant alia mala.

19. Ad 5. distinguo maiorem: quod est causa per accidens alicuius effectus, reducitur ad aliquam causam per se eiusdem effectus, nego: ad aliquam causam per se alterius effectus, concedo maiorem; concedo minorem; ac distinguo eodem pacto consequens. Malum potest causari solum per se accedens, & ex intentione alicuius boni: ergo debet reduci ad aliquam causam per se, non quidem mali, sed boni, propter quod malum causetur, vel permittatur: ergo debet reduci ad primam causam per se intendentem bonum, ac perfectionem vniuersi, causantem per accidens, vel permittentem mala propter perfectionem vniuersi, vt explicatum est quæst. superiori nu. 8. & sequentibus.

20. Ad 6. distinguo maiorem: malum effectus supponit malum saltem negatiuum in causa secunda, transeat; in causa prima, nego: concedo minorem; & nego consequentiam. Omnis effectus malus supponit aliquod malum saltem negatiuum in causa secunda; sed supponit causam primam, quæ cum omnia producat propter perfectionem vniuersi, ad quam requiruntur omnes gradus entium etiā imperfectorum, corruptibilium, & defectibilium tum physicè, tum moraliter, debet perfectè continere omnes perfectiones, ac proinde nullum habere defectum.

TRACTATVS IX.

*De existentia, essentia, differentia
specifica, numero, & cor-
poribus assumptis
Angelorum.*



VIA. creaturæ substantiales diuiduntur in spirituales, & corporeas, siue materiales, ideò S. Thomas postquam à quæstione 43. vsque ad 49. egit de creatione, ac de creaturis à Deo factis in genere, quæstione 50. descendit ad agendum de creaturis spiritualibus, hoc est de Angelis, de ijsque disputat à quæst. 50. vsque ad 64. inclusiue, & à quæstione 106. vsque ad 114. Et quæstione qui-